DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXVII.

PRÆSIDE,

M. Joanne-Francisco-Clemente MORAND, Equite, Anatomes & artis obstetriciæ olim Professore, Castrorum & exercituum Regis nuper Medico, nunc in Regiâ Invalidorum domo, Coadjutore Medici renuntiato, è Regiâ Scientiarum Academiâ Parisiensi, necnon Academiarum Stockolmiæ, Matriti, Florentiæ, Rhotomagi, Lugduni Socio, Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socio honorario, illius itidem, quod est Leodi, Assessore honorario, Doctore Medico.

An paulo post partum celebrata saphenæ sectio, puerperæ non lactantis certa & tuta προφύλαξις?

I.



NON tam procreandis, quàm alendis liberis natam mulierem indicant succo lacteo, mox à partu distentæ & turgescentes mammæ, cæteris temporibus ἄγονω. Quî fit, ut præclaræ istius, à naturâ tacitè infusæ maternæ in liberos caritatis oblita gens fœminea, sibi prorsùs inutilem, pusionis temperiei cognatam & penè germanam, quin & illius ergà, venis in maternis, singulari apparatu, à naturâ elaboratam recuset infanti alimoniam! Quem *fervida adhuc, discruciataque, & doloribus fracta non refugere* (1), *sed tollere* (2), in sinu excipere, fovere, quem propter acerbæ & tœdiosæ gestationis recentissimam memoriam, rerum dulcissimum in hoc saltem temporis puncto habere deberet, quem demùm publicâ contestatione, natum sibi hæredem profitetur, vix è gremio eductus infans

(1) Plutarch. Comment. de nativâ in progeniem charitate de homeride parturiente.

(2) Humi statuebatur ab obstetrice infans recens natus, & parentes, si alere vellent hunc de terrâ tollebant, undè nata formula *puerum tollere*, idest domi educare, suum agnoscere alere in spem familiæ: hoc sensu Juvenal, Sat. V. v. 38 *tollere dulcem cogitat hæredem.* Cujus contrarium erat *puerum exponere*, quando absque misericordiâ projectus est: Vid. Caspari Bartholin. Thom. fil. expositio veteris in puerperio ritûs, ex arcâ sepulchrali antiquâ descripti. Romæ 1677.

genitricis parentiſque ſenectutis ſpes & ſolatium, cum novercale faſtidium à matre ſic experitur, ut alienis conductitiiſque tradendum mammis, citò & procul, tanquam incertis parentibus ortum relegandum præſertim & primariò comparatum fuerit.

Quod ergò, cum ſemine traducti (ut aiunt) parentum mores, adeò ſœpè deformati, quod pravâ indole, quod craſſo ingenio & perditis motibus, multi occurrant infantes, quod gibbi etiam, quod claudi, quod diſtorti ad vos reducantur, quod ſimili prole ſœpius vobis non laus ſit, jam non obſtupeſcite, ô mulieres.

In teterrimam hanc quæ apud noſtras matres inceſſit conſuetudinem, remiſſis nullo tempore habenis, acriter jamdiu invecti ſunt ſalutis publicæ cuſtodes medici (1). Sed fruſtrà, nec illas tangunt infortunia ex altricibus junioribus, iracundis, moroſis, vinolentis, libidinoſis; nec morborum contrahendorum aleæ, nec contractorum exempla; pectoris nitorem, formam præſtantem & elegantem impiè retinere tentant mulieres; ſpretis naturæ legibus & votis, fœcundos lactis rivos areſaciunt; vitæ infantis, ipſarum met ſalutis theſauros extinguunt, infinita propè advocant pericula, imperterritæ.

Jamjam ab ipſis rationum momentis, quæ naturæ leges ſuppeditant, nihil auxilii ſperandum. Ergò adſit in ſubſidium ὑγιεινή, quæ non tantum circà ſex res non naturales verſatur, quæ non ſolum in his intemperantes aut delinquentes diſciplinâ conſervat, ſed quæ etiam rerum quibus corporis integritas ſervari poteſt, ſcientiam univerſam complectitur undè *ars ſanitatis tuendæ*, apprimè audit illa medicinalis methodi pars prior.

Priſcorum more temporum, quibus ſalutiferum Epidaurici templi antheridibus infigebatur remedium, noſtris laquearibus, quaſi in tabellâ votivâ appendatur formula, cujus præſidio, matres, maritis, liberis reipublicæ aſſerventur. Porrò ſic habeto methodum cujus patrocinio innumera quæ graviditatis defatigationes, partûs labores, in non lactantibus mulieribus ſequi ſolent incommoda, tutò certòquepræcaventur.

I I.

PRÆGNATIONIS veræ exitus, partus. In eo, tantum interſe differunt, quantum à ſe invicem diſcrepant oppoſita duo: per conſenſum duntaxat exiſtunt, iſtis in diſſimilibus temporibus, prægnanti videlicet & puerperæ ſubſequentia phœnomena: in graviditate ex eo quod repletur, paſſivèque extenditur; in puerperio, quia depletur & contrahitur uterus. Iſta probè evincit Phyſiologia.

(1) Vid. Theſ. in Saluberrimâ Facult. Pariſienſ. propugnatas, die Jovis 1. menſis Mart. an. 1657. Præſ. M. CAROLO BOUVARD. Proponent. ANTONIO MORAND, Pariſino. die Jovis 11. menſ. Mart. 1662. Præſ. M. JOAN. GARBE. Propon. JACOB. BOUJONNIER, Pariſin. die Jovis 20. Febr. 1687. Præſ. M. ROLAND MERLET. Propon. FRANCISCO VERNAGE Pariſin. die Jovis 29. Mart. 1703. Præſ. M. BERTINO DIEUXIVOYE, Propon. STEPH. FRANCISC. GEOFROY, Pariſin. die Mart. 11 April. 1741. Præſ. M. HYACINTH. THEOD. BARON, Propon. THEOD. BARON.

Naturalia proindè habenda ſunt, quæcumque partui ſuccedunt, mulieremque ex fatigatione convaleſcentem ſpectandam eſſe, adeo evidens eſt, ut à naturali, vix deflectere ſtatum puerperæ affirmandum ſit.

Eductis ex utero, fœtu ſecundiniſque cumulatè prorumpunt lochia, quæ à librâ dimidiâ ad unam vel duas fluentia maximum vitæ periculum nuntiant, ſi ſummam hanc exſuperant, vel ſi abſque imminutione fluant, quæ in lactantibus, aut in mulieribus uberrimam evacuationem ante hac expertis, citiùs ceſſant.

Hanc λοχίοκαθαρσιν pro veris catameniis, *ſive ſanguinis menſtrui graviditatis tempore retenti* non immeritò habeas reliquiis, *à quibus ſolâ ratione differunt, quod hæc ante partum, illa poſt partum ſic appellantur.* Horum fons & origo uterus, jugi ſanguinis per novi meſtris geſtationis tempus affluxu ſic gravatus, ut ſenſim dilatatis & in ſinus ampliſſimos quaſi converſis canalibus per uteri ſubſtantiam numeroſè diffuſis, vaſculoſa ferè appareat ejus textura: horum cauſa vis uteri contractilis, quæ ab virium languore, à fatigatione ob ſucceſſiva & larga ante partum ſanguinis profluvia, à ſubitâ contentorum emiſſione, à placentæ reliquiis, hæmorrhagias creat immodicas, quæ verò, iſtis deficientibus, ab immediatâ maximorum vaſorum evacuatione augetur, funeſtæ tamen, quæ, (niſi majora ſimul deplerentur vaſa) contractionem hanc probabiliter inſequeretur, inflammationis periculo vacat.

Primum hoc partûs purgamentum excipiunt dolores in utero torminales, *dolores poſt partum* vulgò nuncupati, quos producunt vel quædam in vaſis obſtructio, aut in orificio interno erectiſmus, vel uteri contractio, nec non fibroſa in eo, ſeu in vaginâ ſubſidens ſanguinis pars, cujus *thrumbos* ibi retinet repentina orificii interni aut externi contractio, vel denique recenter collecti grumi. Vividiores igitur, diuturniores aderunt, pro ſanguinis grumeſcentis copiâ; hiſque ſuper accedit *Teineſmus*, quoties perfectè non defœcatum fuit uteri corpus, ſive quoties nonnulla in eo exiſtit ingurgitatio. Aſt in communi rerum ordine, id eſt poſt facilem, pauciſque horis abſolutum partum, qui artis opem vix requirit, in quo ſanus vegetuſque editus fuit infans, in quo morbo jam non laborat puerpera, cuncta citò pacantur.

Is eſt ad mulierem è morbo reſtaurandam naturæ proceſſus; verùm matri refocillandæ allaborans, in infantis rebus non indormit benigna hæc hominum parens; illius ſalutis provida, alia adhuc molitur in infimo ventre, ſive in eodem menſtruali ſanguine (ex ſummi Dictatoris & Galeni ſententiâ, materia lactis,) ſive ſuperiùs, in ejuſdem lactis officinâ mammis, ex quibus aliundè lactatione exonerantur humores ſuperflui.

I I I.

DUM abſoluto partu, ſanguis uterum expandens uterinâ conſtrictione ſurſùm evehitur, mammas in quibus effertur, extendit; copioſiorem ſeri lactei quod primum lactis rudimentum & *coloſtrum* audiunt, moxque ipſius lactis ſecretionem ita advocat, ut circà tertium ſeu quar-

tum diem quo maximâ jam ex parte depreſſus eſt uterus, in mammas quas ad tenſitatem implet aggravatque, ubertim & quodam veluti cum impetu prorumpit lac utero penitus relicto.

Hæc in ſanguineum torrentem exundatio, diariam, biariam, aut plurium dierum, leviuſculâ dyſpnoeâ, motu lacertorum difficili, mammarum repletione ſtipatam, quarto circiter die concitat febriculam, quam, ex eo quod, cum lactis in mammis proventu plerumque ſuboriatur, *lacteam* dicunt; quam diſpellit evacuatio critica vel per alvum, vel per urinas, vel per ſudores, quæ ſpontè evaneſcit in benè conſtitutis, in lactantibus mulieribus, in puerperis lac facile exhibentibus, aut parco victu utentibus; rarô demùm periculoſa, dum modò, (quæ tunc minori quantitate fluunt) lochia ritè percolentur, revera quidem in plethoricis præſertim mulieribus, in non lactantibus, ſi neglecto regimine, ſi aëre frigido præpediantur criticæ evacuationes, febris quæ, Synochus ſimplex, & mitiſſima, tranſit in continuam acutam, malignam plerumquè, cæteris omnibus potiſſimùm febribus diverſimodè periculoſiorem, pro phlogodes diatheſeos gradu, pro partibus inflammatis aut infarctis, pro excretionibus obturbatis, pro redundanti, ſtagnante, vel refluo lacte. Ex his intereà ſiniſtra ſemper inſtituenda eſt à Medico πρόγνωσις notando nihilominus, iſta ab obſervatore diligenti peropportunè præſentiri poſſe. Namque primâ poſt partum elapſâ horâ, vel leviſſima in pulſu percepta elevatio, morbum partûs doloribus inſititium portendit. Cum igitur has ab exordio vaticinari, datur, quin has & in primordiis præfocari tragœdias detur, nihil obſtat. Ad illas nimirum eludendas, mirum in modum conferet, attentiſſime à Medico circumſpectata, hæc quæ in utero cum mammis adeo intercedit ἀδελφιξία ut ſeſe mutuò afficiant. Hinc eſt quod pubertatis tempore in venerem prurientibus puellis, attollantur, decoraque integræ vel delibatæ virginitatis indicia, abortumque pronuntiant extenuatæ mammæ; hinc eſt quod ab utero ad mammas, in recens nati alimoniam lactis ſpecie dealbatus ſanguis menſtruus, ſpontaneo motu illabatur, nec ad uterum, nutritionis tempore niſi motu præter naturali refluat: lacte ſi turgeant mammæ, eo & uterum manare plerumque videas, nec non hic viciſſim nimiâ ſanguinis copiâ gravis, partem illicò refundit in mammas.

Hâc in duplici *Diachoriſi* hâc in ſingulari concordiâ, quâ non ſolum in ejuſdem operis conſortium puerperii tempore adniti, ſed unà ſimul compati ſolent uterus & mammæ, recluduntur cauſæ, quibus recenter enixæ mulieris integritas, ſanitaſve ſervari aut deſtrui poſſunt. Harum vires & effectus ex animo tenere debet medendi peritus. Cumque ex phyſiologis conſtat, ad proſperæ valetudinis incolumitatem, plurimum conferre motum & excretionem liquorum, illiſque vel juſto tempore, vel quantitate debitâ non excretis, ſeu retentis, ſanitatem affici, perſpicuum eſt pariter, ſanum puerperæ ſtatum haud minus in ſecretionibus

& excretionibus ritè peractis consistere, illiusque licet naturalem statum, ab excreto & retento lacte in morbosam facile immutari posse *diathesim*, si quâ datâ portâ foras rite non amandatur lac, aut si sufficiens (quæ lacteam discutit febrem, quatenùs mammas ex redundanti lacte expedit,) lochiorum absit evacuatio.

I V.

DOLORES post partum, à magis minus ve infarctis uteri parietibus sic pendere vidimus, ut quoties cumque in iis adest ingurgitatis, constanter illi existant : hanc abesse per rarum est. Undè in temperamentis, tenuiore constitutione, habitu corporis laxato, raro, spongioso, numerosioribusque, sed gracilibus vasis, ut omnes præ se ferunt mulieres, præditis, motus sanguinis progressivus & circularis impeditur, vasa distenduntur, eorum diameter ampliatur, suboriturque obstructio, ex omnibus quæ in cunctis sive secretoriis sive excretoriis canaliculis ingurgitationem procreare valent, promanans.

Non solum autem, uterinis, sed vicinarum partium vasis, quæ dolentia, tumentia obstructa sunt, inest plethora; liquore matri prorsus inutili, mox luxurians sanguis, eò graviores tunc inducit epipolaseos effectus, quod graviditatis tœdiis, partûsque angoribus, magis minus ve defatigatum, in istius lacteæ conversionis instanti invadit corpus spuria hæc plethora, quod alioquin ea sit lactei humoris natura & indoles, ut non solum propter moleculas, sanguineis globulis majores, sanguineæ massæ prorsùs heterogeneneus sit, quod insuper in vasis commorari, indè in capillaribus hærere, in glandulis cumulari idoneus sit, quod deniquè facile spissescat, acescat, in grumos abeat.

Hæc autem præcavere magis quàm expugnare aut sanare facilius dicendum. Antequam has ad augustias res pervenerit, maturato opus est. Per loca convenientia humores ducendos, seu ut vulgo inclinant evacuandos esse indicat natura, cujus ministrum se profitetur Medicus : copiosam lochiorum expurgationem aggredere, sic præcidentur morbi causæ, *nisi enim*, ait medicorum princeps, *partûs purgamentis mulier repurgetur, magno morbo tentabitur, vitæque periculum incurrit, nisi quis celeri adhibitâ curatione convenientem promoveat purgationem* (1). Hunc in finem adhibentur ut plurimum enemata, &c. & alia quibus efficaciter in vulgatissimis casibus provocatur lochiorum fluxus.

In his exequendis palmam præripit, è malleolo venæ sectio, quam, utero inflammato, lochiisque suppressis, non respuit clarissimus olim obstetricus Franc. Mauriceau (2). Saphænam (quod majus est) in hisce cir-

(1) De nat. puer. l. 2. sect. 4.

(2) De mulierum prægnantium, parturientium & puerperarum morbis.

Vide etiam Laurent. Heisteri Compend. Medicinæ practicæ de febribus acutis puerperarum.

cumſtantiis feliciter ſecari poſſe opinatur, imminutâ prius, ope venæ ſectionis in brachio, liquidorum mole, cum imprimis ſanguinea exiſtit plethora: affluxum in utero ex illâ ſectione tunc non pertimeſcit: uteri ductus liberiùs permeant humores prægreſſâ in brachio ſanguinis miſſione, fluidiores & ſeroſi magis redditi, quibus & in uteri interiora exportandi ſunt, ſtomata vaſorum, ſuperatis obicibus, attingunt.

Hocce mechaniſmo ſuppreſſa reſtituuntur lochia, uterique, aut aliorum abdominis viſcerum, ex illâ lochiorum ἐπίχεσι orta inflammatio tutâ & celeri reſolutione definitur. Sic ſtymargi famulam idumæam tremoribus in univerſo corpore afflictam, propter reflua partûs purgamenta, ſecatâ ad malleolum venâ ſanavit divinus ſenex; at prophylacticæ indicationi, præſtantius ni fallor ſatisfacit, *antiſpaſtica* phlebotomia, mox à partu celebrata quæ vaſorum tollit obices; & lochiorum colluviem, fomitem morborum citò præcipit, quæ vel lochiorum in utero vel lactis in mammis imminentem prævertit obſtructionem (1): illius eò certior evacuationis eventus, quod in mulieribus, multò capacior quàm in viris aortæ deſcendentis truncus, quod abundantiſſimi poſt partum in utero depluant ſanguinis ſcaturigines, undè multo abundantior revulſio.

Ex præmiſſis facile credere eſt, non in ipſo partûs abſoluti articulo, quo doloribus & agitatione præter modum & præter tempus commoti ſunt humores, huic accingendum eſſe. Integrè pacatis omnibus, intrà primum *nichtemeron* perficienda proponitur ſectio, quæ in omnibus ferè caſibus, in plethoricis, robuſtis mulieribus præſentaneum importat ſubſidium, cum generalis inducta non fuerit obſtructio: omnibus à lacte periculis tutò & citò averſis, jam mammas non deturpabunt tumores, abceſſus, ulcera, cancer: arcentur jam, ex infauſtâ metaſtaſi, dolores in artubus, abceſſus in viſceribus; in utero aut circùm vicinia inflammationes; morboſæ in cute eruptiones miliares.

Nonnullas tamen, hìc cautelas apponere poterit, ad partûs, & puerperæ circumſtantias attendens dogmaticus, prudenſque medicus. Advertet imprimis, an ante partum, an in ipſo puerperio, an poſt partum hemorrhagiâ uterinâ laboraverit mulier, an diutiùs, difficiliùs & laborioſè pepererit, undè defatigata nimis aut attrita; an infirmâ valetudine, an morbo prius extenuata & exinanita ſit.

(1) Vide quod illâ Saphena ſectione ſed leviter & non ſatis expreſſe ſcripſit à Scientiarum Societate ad Harlemum Florenti, Laureatus autor Opuſculi cui titulus eſt. *Diſſertation ſur ce qu'il convient de faire pour augmenter, diminuer ou ſupprimer le lait des femmes, quels accidens il occaſionne le plus ſouvent, & comment on peut les prevenir.* 1763. p. 51 & 88.

V.

EX te, naturalis eſt mulieris recenter enixæ ſtatus; ergò medicinâ non eget. Quamvis prægnantem & puerperam mulierem undequaquè circumſtent pericula, quæ graviditatis partûſve quaſi appendices ſunt, ſicque proximè morboſus ſit alter utrius ſtatus, ſanum nihilominus & naturalem dici poſſe contendimus, dum in prægnante, utilis quæ ad fœtus nutrimentum & augmentum illam invadit plethora in ipſius damnum facilè vertitur, ad utriuſque etiam integritatem, ſi moderata, ad utriuſque exitium, ſi immodica, tendit. Plurium etenim morborum cauſa eſt remota, legitima licet ſupponatur, (ſanguinis videlicet laudabilis redundantia) tanto magis ſi ſpuria jam exiſtat, aut lapſu temporis fiat, in quâ ſanguis luxuriat excrementitius. Hinc enim malignam in dies tacitè inducens indolem humorum *Dyſcraſia*, mille ægrotationum miſerandum omen. Quod ſi non avertat Medici ſcientia, triſtem & aſperam ſortem non ſolum à primo prægnationis flamine ſed ad partum uſque & in puerperii decurſu, miſeræ mulieri intentat malorum ilias ambagioſa; ac veluti ſanguinis miſſione & epicraſi tempeſtivè & ſuſpenſâ manu celebratis, tutò & jucundè infringitur in gravidis plethoræ malignitas, ſic & etiam in puerperâ, & eâ præſertim quæ maternas adimplere vices dedignatur, ſummâ curâ reprimenda eſt ſubitanea, quæ plura huic & graviora minatur, plethora, ubi primùm, mox à partu, ſanguis ab utero ad mammas, in gratiam recens nati, uterinâ contractione proſilit, vel ubi primum partim ex mammis, ex utero plerumquè manans percipitur lacteus humor in ſanguinis alveo præceps decurrens. Tutiſſimum citiſſimumque profectò iſti plethoræ frænum injiciet à nobis indicata ſanguinis miſſio, quâ nihil ad lochiorum congruentem & ejuſdem tenoris fluxum accerſendum, aptius, aut ad febrem, (dum tenſioni obſiſtit,) prævertendam, quæ cœteroquin majorem humorum copiam in vaſis uterinis non advocat, ſed majorem in iis liquidi copiæ accerſit præſentiam, abſque ullâ derivatione.

Inſtant adhuc. Quid hic ſyſtematis, quid hic ſpeculationis figmentum proferre amas? Inauditam praxim, inviſam opinionem vetat res multi conſilii & maximæ prudentiæ. Speculatricem reverâ theoriam hactenùs prolatam fatemur. Sed virtutem huic adjicit theoria vera & ſolida, rerum domina obſervatio, ſine quâ in præceptorum, in regularum applicatione abortivus & mancus ad ægrotantium cubile accedit medicus, certamque exercet inaniter artem.

Apud Turones, ſaphenæ ſectioni ſe ſubjiciunt, hanc ultrò proſtulant mulieres ferè omnes partu levatæ : iis adeò arridet hæc praxis, ab expertiſſimo & per 60 annos feliciſſimo medico Turonenſi *de Feau*, triginta jam ex annis vitâ functo inſtituta, ut quemadmodum ictûs, prolapſûs-ve

cujuslibet causâ, absente etiam necessitate, sanguinem in Brachio, ubique; hîc è malleolo præservationis gratiâ, bis nonnunquam mittere in puerperio mos invaluit: istaque non auditione vel famâ, sed de visu, unum & alterum per Turonum provinciam iter faciens accepi; simul ac attentè pensitatis ex partûs theoriâ fluentibus rationum momentis, confidentissimus hujus-ce methodi suffragator in publicis de arte obstetricandi lectionibus meis quondam extiti, nec minus audacter quàm feliciter, frequentissimis in puerperis, instituendam hanc volui & curavi.

Calculum huic addit clarissimus olim in eâdem arte Chirurgus D. *Puzos*, qui in ipsissimis suis filiabus illam saphenæ sectionem celebrare non reformidavit (1) : nihil ergò novitati, nihil præjudicatis opinionibu, snihil temeritati hâc in re tribuitur, nihil è contrà quod scrupulosiori lance trutinatum, aut efficacis experientiæ sigillo obfirmatum non fuerit, ac proindè nullum nostræ methodo inest vitium.

At omnes insurgunt gravidis parturientibusque operam præstantes mulierculæ, quibus nostra repugnat methodus; reclamant & ipsæ puerperæ? Quid ergò? Quotquot existunt matres, ab infantum molestâ nutritione, impunè decesserunt; consumendo & fugando lacti propria non desunt subsidia; sunt & etiam quibus nimiæ ad mammas sanguinis copiæ inhibetur adventus. Scio equidem, sed non laudo: totâ in illâ re de capite agitur: ex medicis, ex Turonibus, aliisque, audite quantum spuriis vestris & malefidis auxiliis præstet nostra methodus. Si demum salubria respuitis consilia, si avias paternas & maternas, socros, materteras, amitas auscultare malitis, luctuosis saltem & vulgatissimis discite ab exemplis, easdem vestris cervicibus impendere strages. Nos, certis principiis & experimentis innixi concludere possumus.

Ergò paulo post partum celebrata saphenæ sectio, puerperæ non lactantis, certa & tuta προφύλαξις.

(1) Huic praxi assentiunt Obstetricantes peritissimi plures, clarissimus imprimis D. *Barbaut*.

Proponebat Parisiis THOMAS LEVACHER DE LA FEUTRIE, Ebroicensis, Doctor Medicus Cadomensis, & Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1767.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univers. & Facult. Med. Parisiensis, Typographi.